



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Instructio practica ...**

Institutiones Qvintvplicis Theologiæ - Positivæ videlicet, Asceticæ,  
Polemicæ, Speculativæ, & Moralis complectens, Unà cum Appendice  
Methodum compendiarium reformationis Ecclesiasticæ à Concilio  
Tridentino factæ continente

**Lohner, Tobias**

**Dilingæ, 1679**

Principium 6. Quod semel placuit, ampliùs displicere non potest.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48233](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-48233)

PRINCIPIUM VI.

Quod semel placuit, amplius displicere non potest.

Sensus.

Hoc est, si aliquis elicitur actum voluntatis, ex quo alteri ad rem aliquam exortum est, non potest revocare talem actum, nisi in casibus, in quibus talis revocatio specialiter à lege concessa est, quales sunt contractus innominati, Societas, Depositi, Mandatum, ultima voluntas, recusatio hereditatis paternæ, nondum abalienatæ, sententia interlocutoria ex variis legibus ostendit Canisius in cit. reg.

Authoritas.

Desumptum est ex l. 6. decret. c. ult. reg. 2 r. & ex l. 75. reg. Juris, ubi dicitur: Nemo potest mutare consilium alterius injuriam; illudque referunt, & explicant Canisius, & Dynus in tract. de reg. Juris.

Ratio.

Quia, ut Ulpianus relatus in l. 1. ff. de pacto ait, nihil congruum est humanæ fidei, quàm ea, quæ inter alios observant, servare.

Praxis.

Hinc deducitur 1. Sponsalia legitimè contracta non possunt ab uno tantum contrahente dissolvi, nisi grave impedimentum antea non prævisum superveniat, uti docet communis sententia Theologorum.

Deducitur 2. Eum, qui vendidit alteri rem aliquam, non posse pro libitu contractum rescindere, uti iterum communis Theologi & Juristæ.

Deducitur 3. Famulum, qui Domino suo operam ad annum condixit, non posse sine gravi causa à Domino discedere. Molin. Escob. Regin. apud & cum Eufenbaum l. 3. tr. 3. c. 4. docent.

PRIN-